VII.

Städtisches Evangelisches Gymnasium zu Jauer.

Ostern 1872.

Inhalt: 1. Observationes miscellae.
2. Schulnachrichten. Beides vom Director Dr. R. Volkmann.

Jauer, 1872.
Druck der Opitz'schen Buchdruckerei (H. Vaillant).

I. De Hermagorae Temnii nobilissimi rhetoris aetate quamquam certiore aliquo testimonio destituti sumus, facili tamen negotio intellegitur eum Ciceronem aliquantum antecessisse. Is enim in libris de inventione a. 86 scriptis ea Latine exposuit et dilatavit, quae a Graeco aliquo rhetore didicerat, siquidem ea de re fides habenda est Quintiliano III, 6, 59, qui de his libris scripsit: *sunt enim velut regestae in hos commentarios, quos adulescens deduxerat, scholae, et si qua est in eis culpa, tradentis est.* Verum ignotus ille Ciceronis in arte oratoria magister quisquis fuit, Hermagorae doctrinam ita in plerisque secutus erat, ut in nonnullis propriam viam iniret, rursus in aliis Hermagoram ab iniustis adversariorum criminationibus vindicaret. Quod facere non potuisset, nisi iam ipsius aetate aliorum rhetorum contra Hermagoram scriptae disputationes extitissent, ut aetatem huius viri citra medium fere saeculum secundum ante Christianorum aeram deducere nobis non liceat. Nam quae in multis recentiorum libris leguntur adeoque, de quo mireris, in eis quae O. Jahnius ad Ciceronis Brutum c. 76, 263 adnotavit, Hermagoram rhetorem Rhodi scholam habuisse a. 62, quo tempore Pompeius per Mithridatici belli occasionem ad istas Asiae oras devenerat, ex Plutarchi loco fluxerunt in vita Pompei c. 42 perperam intellecto. Nempe tradit ibi Plutarchus Pompeium Rhodi versantem omnes audivisse declamatores et singulis donavisse talentum. Quo dicto pergit: *Ποσιδώνιος δὲ καὶ τὴν ἀκρόασιν ἀνέγραψεν, ἣν ἔσχεν ἐπ᾽ αὐτοῦ πρὸς Ἑρμαγόραν τὸν ῥήτορα περὶ τῆς καθόλου ζητήσεως ἀντιταξάμενος.* Posidonius igitur coram Pompeio scholam habuit postea ab ipso editam, quo Hermagorae sententia *περὶ τῆς καθόλου ζητήσεως* impugnabatur.

Itaque vides ex Plutarchi loco de Hermagorae aetate nihil aliud colligi posse nisi, de quo iam aliunde constat, eum Posidonio non fuisse minorem. Eius autem *καθόλου ζήτησιν* cave de universa inventione oratoria accipias, ut is fecit, qui nuper Plutarchi vitas Germanice vertit, immo intellegenda est *θέσις*, quae cum *ὑποθέσει* secundum Hermagoram duo genera materiae oratori subiectae constituit. Talem rhetoris alicuius sententiam Posidonio philosopho vehementer displicuisse nemo mirabitur, qui attendit ad ea, quae quasi umbram aliquam et imaginem scholae illius a Posidonio habitae Cicero de inv. I, 6, 8 scripsit, quo loco de Hermagora inter alia haec leguntur: *quaestionem autem eam appellat, quae habeat in se controversiam in dicendo positam sine certarum personarum interpositione* (haec est *καθόλου ζήτησις*) *ad hunc modum: ecquid sit bonum praeter honestatem? verine sint sensus? quae sit mundi forma? quae sit solis magnitudo? quas quaestiones procul ab oratoris officio remotas facile omnes intellegere existimamus: nam quibus in rebus summa ingenia philosophorum plurimo cum labore consumpta intellegimus, eas sicut aliquas parvas res oratori attribuere magnae amentiae videtur.*

quodsi magnam in his Hermagoras habuisset facultatem studio et disciplina comparatam, videretur fretus sua scientia falsum quiddam constituisse de oratoris officio, et non quid ars, sed quid ipse posset, exposuisse: nunc vero ea vis est in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quam philosophiam concesserit rell.

II. Non certiora quam de aetate Hermagorae de scriptis eius sunt tradita. Sane quidem in Suidae Lexico, postquam brevis iniecta est mentio Hermagorae Amphipolitani philosophi Persaei discipuli, haec legimus: *Ἑρμαγόρας Τήμνου τῆς Αἰολίδος ὁ ἐπικληθεὶς Καρίων, ῥήτωρ. τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ϛ'. περὶ ἐξεργασίας. περὶ πρέποντος. περὶ φράσεως. περὶ σχημάτων. ἐπαίδευσε δὲ οὗτος μετὰ Καικιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόῤῥω τῆς ἡλικίας* — et fere eadem habet Eudocia, nisi quod post *περὶ πρέποντος* addit *περὶ κώλων καὶ περιόδων*. Verum dubitari nequit, quin hoc loco Hermagoras Temnius cum altero eiusdem nominis rhetore ex Imperatorum aevo confusus sit, adeoque duo diversi Hermagorae in unum coaluerint. Exciderunt apud Suidam verba *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ἑρμαγόρας* vel *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος νεώτερος*. Verum tamen prorsus incertum est, utrum tale quid post *τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ϛ'* an post *περὶ σχημάτων* exciderit. Illud certum est Hermagoram Temnium vixisse ante Ciceronem, neque minus certum recentiorem aliquem Hermagoram Romae vixisse discipulum Theodori Gadareni. Nam Quintilianus III, 1, 18: ‚*plura*' inquit ‚*scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoran sunt qui viderint.*' et ex eiusdem Hermagorae declamationibus nonnulla Seneca pater servavit. Ceterum Quintilianus eum inter artium scriptores rettulit. Atque technicum aliquem scriptorem *Ἑρμαγόραν τὸν νεώτερον* auctorem *μονοβίβλου περὶ πραγματικῆς* cum Metrophane commentatore Hermogenis laudavit Planudes in Walzii Rhet. Gr. T. V p. 337. Itaque possit aliquis in eam sententiam deduci, ut statuat omnia, quae apud Suidam de Hermagora leguntur, ad hunc iuniorem esse referenda. Verum si statuimus vetustum aliquem scriptorem, qui simpliciter Hermagorae iniecit mentionem, non de alio quopiam eiusdem nominis viro, sed de clarissimo rhetore cogitasse, qui primus de causarum constitutionibus accurate disputaverat, neque de Temno Hermagorae patria neque de arte rhetorica ab eo conscripta dubitari potest, siquidem Strabo l. XIII p. 621 haec scripsit: *ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν ἔτι καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον καὶ τὴν Τῆμνον, ὅθεν ἦν Ἑρμαγόρας ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας*. Quodsi autem priscus Hermagoras Temnius fuit, mirum esset etiam posteriorem Hermagoram, qui Romae vixit, Temnium fuisse, mirum etiam illud, cur Suidas nobiliorem rhetorem prae ignobiliore omisisset. Reliqui scriptores, qui de prisco Hermagora mentionem iniecerunt, etiamsi librum aliquem ab eo editum non appellant, tamen artem oratoriam ab eo compositam esse satis luculenter ostendunt. Cognomine autem *Καρίωνος*, quod ad priorem illum Hermagoram referre non dubito, per contemptum aliquem designatur tamquam rhetor Asianus, quos universos Phryges vel Cares appellare solebant adversarii.

III. Quaestiones Convivales inter corruptissima Plutarchi scripta referenda esse, ut cum Josepho Scaligero ep. 232 quaerere liceat, quis modus esse possit purgandi Symposiacorum librorum stabuli, cum tot prope menda sint, quot versus et commata, inter omnes satis constat. Ac ne integro quidem ambitu ad nostram aetatem venerunt. Nam deest in libro quarto sextae quaestionis clausula, reliquarum Graecae tantum inscriptiones supersunt. Item in nono libro sexta quaestio et duodecima decurtatae sunt, septima ad undecimam exceptis inscriptionibus interciderunt. Verum etiam ea quae supersunt innumeris hiant lacunis, quas non tam corrupto archetypo quam impio epitomatoris consilio imputandas esse censeam. De quibus Doehnerus in praestantissimarum Quaestionum Plutarchearum particula altera p. 32 haec scripsit: ‚saepius dictum est lacunas, quibus Plutarchi libros maximeque

Symposiaca nunc fatiscere constat, non tantum hinc esse natas, quod evanidam vermibusve exesam archetypi scripturam assequi non potuere scribae, qui apographa confecerunt, sed etiam quod saepe in tanta rerum, quas lectitabant, ignorantia aliud quid agitantes a proposita re aberrabant, inde factum est, ut compluscutis in locis ea ipsa festinanter omitterent, in quibus cardo rei versaretur, quae deinde editores et omnino maxime infeliciter Stephanus utcunque expleverunt.' Idem vir doctus putabat olim quaestiones convivales a Plutarcho tantum primis quasi lineamentis adumbratas esse, ut secundis curis retractatae accuratius expolirentur. Itaque in eiusdem libelli p. 34, ubi de mira quorundam locorum brevitate queritur ,scilicet hoc' inquit ,in omnibus his quaestionibus probe tenendum est, non temere vel scribarum neglegentia esse effectum, ut in tanta quas tractavit rerum physicarum obscuritate subobscura etiam saepe sint verba ipsa et sententiarum orbes, sed omnia haec esse Plutarchi tamquam epitomatoris, argumenta non adeo copiose et expressa singula rimantis, sed scriptoris, quando otii aliquid datum fuerit denuo retractaturi.' Verum hanc viri doctissimi sententiam probare non possum. Primum enim iniustissimum est et indignum Plutarchum pro epitomatore habere vel neglegente aliorum scriptorum compilatore. Deinde parum verisimile videtur Plutarchum in eo opere, quod auctore Sossio Senecione nobilissimo eius amico et viro consulari susceperat, ad quem singulos convivalium quaestionum libros cum dedicatoria aliqua epistula transmisit, prae nimia scribendi festinatione in obscuritatis vitium incidisse, secundis curis alii loco reservatis et tempori, quod sane putidae fuisset neglegentiae. Magis igitur placuerunt, quae Doehnerus in tertia quaestionum particula p. 10 de una narratione in Symposiacis servata (VI, 8, 2 p. 694 C) adnotavit, eam non solum corruptam, verum etiam breviatam et decurtatam ad nos pervenisse, ut hanc observationem si non ad integrum quaestionum corpus, tamen ad multas eius particulas transferendam esse censeam.

Cui sententiae me quidem iudice non refragatur comparatio inter Symposiaca et Macrobii Saturnalium librum septimum instituta, quem fere totum ex convivalibus quaestionibus compilatum esse iam Wyttenbachius adnotavit in Animadv. in Plut. Mor. I p. 85. Sane quidem concedendum est Macrobium liberius usum esse Plutarcheis, ut modo ommitteret quaedam, modo adderet aliena, imprimis quae ad Vergilianas antiquitates faciunt illustrandas. Nonnulla tamen, quae ex Plutarcho in suum librum transtulit, uberius narrat et ita quidem, ut ex eius demum verbis Plutarchea suam et iustam accipiant lucem et omnino intellegi non possit, cur tandem Plutarchus ea omiserit, quae et scire potuit at ad illustrandam sententiam addere debebat. Quo primum refero ex Plutarchi Sympos. II, 1, 5: *καὶ Κυητοῦ* (l. *Κοίντου*) *τοῦ ἡμετέρου, μέμνησαι γάρ, ἐν ἀσθενείᾳ τὰς χεῖρας ἔχειν ψυχρὰς λέγοντος, Αὐφίδιος Μόδεστος, ἀλλὰ μὴν ἔφη θερμὰς ἀπὸ τῆς ἐπαρχίας κεκόμικας αὐτάς· τοῦτο γὰρ ἐκείνῳ μὲν γέλωτα καὶ διάχυσιν παρέσχε, κλέπτῃ δ᾽ ἀνθυπάτῳ λοιδόρημα καὶ ὄνειδος ἦν.* In his oratio breviuscula est et nescio quid imperfecti habet. Certe miramur illud, in quo totius dicti acumen versatur, nempe quod ex provincia continentissime administrata Quintus ille, cuius cognomen, vel si Plutarcheo more Quintus pro Quintius dictum est, praenomen aegre desideramus, rediit, non disertius indicatum esse. Iam videas quaeso Macrob. Sat. VII, 3, 15: *L. Quintius praetor de provincia nuper reverterat observata, quod mireris Domitiani temporibus, praeturae maxima castitate. Is cum aeger adsidenti amico diceret frigidas se habere manus, renidens ille ait: atqui eas de provincia calidas paullo ante revocasti. risit Quintius delectatusque est, quippe alienissimus a suspicione furtorum. contra, si hoc diceretur male sibi conscio et sua furta recolenti, exacerbasset auditum.* Quibus verbis exoptatam aliquam lucem Plutarcheis accendi non negabis. Sane fieri potuit, ut Macrobius, quae addidit, de suo adderet, h. e. ex alio scriptore petita. Verum hoc non adeo probabile videbitur reputanti verba ,*de provincia nuper reverterat*' vix additurum fuisse scriptorem sub Theodosio florentem,

ubi Domitiani tempora respiciebat, nisi ita in Graeco exemplari invenisset expressum, totamque istam narrationem, quam Plutarchus in amicorum circulo audiverat, vix ab alio scriptore accuratius referri potuisse, quem Macrobius suum in usum converteret.

Alterum locum profero ex Sympos. I, 1, 1: *οὐδὲ γὰρ Ἰσοκράτην τὸν σοφιστὴν ὑπομεῖναι δεομένων εἰπεῖν τι παρ᾽ οἶνον, ἀλλ᾽ ἢ τοσοῦτον, ἐν οἷς μὲν ἐγὼ δεινός, οὐχ ὁ νῦν καιρός· ἐν οἷς δ᾽ ὁ νῦν καιρός, οὐκ ἐγὼ δεινός.* In his illa *δεομένων* et *εἰπεῖν τι* absque ulla peristasi sic nude posita mirifice languent. Iam quid Macrobius VII, 1, 4? ‚*Isocrates enim Graecus orator*' inquit ‚*qui verba prius libera sub numeros ire primus coegit, cum in convivio a sodalibus oraretur, ut aliquid in medium de eloquentiae suae fonte proferret, hanc veniam deprecatus est: quae praesens, inquit, locus et tempus exigit, ego non calleo: quae ego calleo, nec loco praesenti sunt apta nec tempori.*' Quae hic de arte Isocratis leguntur, petita videntur a Cicerone, cf. orat. 52, 174. de orat. III, 44, 173, neque crediderim eorum Plutarchum fecisse mentionem, verum illa ‚*cum in convivio a sodalibus oraretur*' et ‚*ut aliquid in medium de eloquentiae suae fonte proferret*' mihi suspicionem moverunt Plutarchi brevitatem et siccitatem non genuinam esse, sed epitomatoris culpa nonnulla in eius oratione excidisse.

Tertium exemplum praebeant ea, quae de Pisistrato leguntur Sympos. I, 1, 3: *ἂν δὲ πλῆθος ᾖ τοιούτων ἀνθρώπων, οἳ παντὸς μὲν ὀρνέου, παντὸς δὲ νεύρου καὶ ξύλου μᾶλλον ἢ φιλοσόφου φωνὴν ὑπομένουσι, τὸ τοῦ Πεισιστράτου χρήσιμον. ἐκεῖνος γὰρ ἐν διαφορᾷ τινι πρὸς τοὺς υἱοὺς γενόμενος, ὡς ᾔσθετο τοὺς ἐχθροὺς χαίροντας, ἐκκλησίαν συναγαγών, ἔφη βούλεσθαι μὲν αὐτὸς πεῖσαι τοὺς παῖδας, ἐπεὶ δὲ δυσκόλως ἔχουσιν, αὐτὸν ἐκείνους πείσεσθαι καὶ ἀκολουθήσειν.* Contra Macrobius VII, 1, 12: ‚*nec mirum, si doctus faciet, quod fecit quondam Pisistratus Athenarum tyrannus: qui cum filiis suis rectum dando consilium non obtinuisset assensum atque ideo esset in simultate cum liberis, ubi hoc aemulis causam fuisse gaudii comperit ex illa discordia sperantibus in domo regnantis nasci posse novitatem, universitate civium convocata ait succensuisse quidem se filiis non adquiescentibus patriae voluntati, sed hoc sibi postea visum paternae aptius esse pietati, ut in sententiam liberorum ipse concederet: sciret igitur civitas sobolem regis cum patre concordem. hoc commento spem detraxit insidiantibus regnantis quieti.*' Ad verba ‚*ex illa discordia — novitatem*' adnotavit Ludovicus Janus: ‚haec verba ab ipso Macrobio adiecta in eo reprehendenda sunt, quod Pisistratus appellatur *regnans* (cf. infra sobolem regis et regnantis quieti) et *nasci posse novitatem* dicitur pro posse res novari.' Verum si concedis omnino fieri potuisse, ut Macrobius ampliora legeret in Plutarchi loco, quam quae nunc habemus, non negabis Plutarchum de Pisistrati domo tamquam de *ἄρχοντος οἰκίᾳ* potuisse loqui et novitatem respondere Graeco *καινοπραγίᾳ.* Libenter fateor totam meam de his Macrobii locis sententiam incertis niti suspicionibus, verum nolui eam opprimere, quia fortasse doctioribus accuratioris de hac re disputationis haud ingratam praebebit materiam.

IV. Non integras autem Quaestiones Convivales ad nos pervenisse etiam Gellius docere potest. Is scilicet III, 6: ‚*per hercle rem mirandam*' inquit ‚*Aristoteles in septimo problematorum et Plutarchus in octavo symposiacorum dicit: si super palmae inquiunt arboris lignum magno pondere imponas ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit et sursum nititur recurvaturque.*' Haec Graece sunt apud Plutarchum VIII, 4, 5: *φοίνικος γὰρ ξύλον ἂν ἄνωθεν ἐπιθεὶς βάρη πιέζῃς, οὐ κάτω θλιβόμενον ἐνδίδωσιν, ἀλλὰ κυρτοῦται πρὸς τοὐναντίον, ὥσπερ ἀνθιστάμενον τῷ βιαζομένῳ.* Verum pergit Gellius: ‚*propterea inquit Plutarchus in certaminibus palmam signum esse placuit victoriae, quoniam ingenium ligni eiusmodi est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat*' — quae in nostris Symposiacis frustra quaerimus. Nam quae apud Plutarchum sequuntur: *τοῦτο δὴ καὶ περὶ τοὺς ἀθλητικοὺς ἀγῶνας*

ἐστί· τοὺς μὲν γὰρ ὑπ᾽ ἀσθενείας καὶ μαλακίας εἴκοντας αὐτοῖς πιέζουσι κάμπτοντες, οἱ δ᾽ ἐρρωμένως ὑπομένοντες τὴν ἄσκησιν, οὐ μόνον τοῖς σώμασιν ἀλλὰ καὶ τοῖς φρονήμασιν ἐπαίρονται καὶ αὔξοῦνται — Gellianis non respondere apertum est.

V. Postquam in Sympos. VII, 1 unus ex convivarum numero Platonem erroris arguit, quod potum dixit ad pulmonem defluere et saniorem ea de re Erasistrati protulit doctrinam, ipse Plutarchus Platonem ita defendere conatur, ut alios quoque auctores in eadem sententia fuisse doceat. Primum igitur ad Eupolin provocat. Deinde ad claros medicos his quidem verbis, si Duebneri sequimur editionem: *ἔτι δὴ τῶν μαρτύρων τῷ Πλάτωνι προσκαλοῦμαι Φιλιστίωνά τε τὸν Λοκρόν, εὖ μάλα παλαιὸν ἄνδρα καὶ λαμπρὸν ἀπὸ τῆς τέχνης ὑμῶν γενόμενον, καὶ Ἱπποκράτην καὶ Διώξιππον τὸν Ἱπποκράτειον· οὗτοι γὰρ οὐχ ἑτέραν ὁδὸν, ἀλλ᾽ ἣν Πλάτων ὑφηγοῦνται τοῦ πόματος.* Verum haec ita scripsisse Plutarchum parum verisimile est. Neque enim Philistionem Locrum Eudoxi Cnidii magistrum ante Hippocratem commemorasset, neque Hippocratis nomen sine honorifica aliqua laudatione sic nude posuisset, quam modo Philistioni tribuerat. Et re vera aliter scripsisse Plutarchum idem ostendit Gellius XVII, 11, 6 apud quem haec leguntur: *‚sed Plutarchus in libro symposiacorum auctorem Platonis sententiae Hippocraten dicit fuisse idemque esse opinatos et Philistiona Locrum et Dioxippum Hippocraticum ueteres medicos et nobiles.‘* Apparet Plutarchi verba et breviata esse et turbata. Verum Gellii verba ad emendationem Plutarchi non prius adhibere licebit, quam quid in huius codicibus traditum sit pro certo constet. Nam verba *καὶ Ἱπποκράτην* in Parisina tantum editione leguntur incertum utrum ex codice aliquo an ex coniectura. reliqua pendent ex unius Palatini auctoritate, quem Wyttenbachius adhibuit. in plerisque nihil legitur nisi *Φιλιστίωνα — γενόμενον καὶ Ἱπποκράτειον.* Gellius autem non *‚in libro symposiacorum‘* quod esse debebat aut *‚in libris symposiacorum‘* aut *‚in symposiacis‘*, sed *‚in septimo symposiacorum‘* scripsit, ut III, 6 *‚in octavo symposiacorum‘* legimus.

VI. Plutarchus in vita Ciceronis c. 29, ubi de causa Clodiana agit, haec tradit: *οὐ μὴν ἀλλὰ τότε τοῦ δήμου πρὸς τοὺς καταμαρτυροῦντας αὐτοῦ καὶ συνεστῶτας ἀντιταττομένου φοβηθέντες οἱ δικασταὶ φυλακὴν περιεστήσαντο καὶ τὰς δέλτους οἱ πλεῖστοι συγκεχυμένοις τοῖς γράμμασιν ἤνεγκαν. ὅμως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι. καί τις ἐλέχθη καὶ δεκασμὸς διελθεῖν.* Metu coacti vel pecunia corrupti plerique iudices litteras in sorticulis inscriptas obduxerant easque evanida scriptura in sitellam coniecerant, v. Zumpt der Criminalprocess der Roem. Rep. Lips. 1871, p. 364. 366. Eiusmodi tabellae utrum pro absolutoriis an condemnatoriis in sorticularum computatione habitae sint, non satis liquet, quamquam prius, quia magis ad aequitatem accedit, verisimilius esse nemo negabit. Utut id est, scriptor pergere non potuit *ὅμως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι*, sed scribendum erat *ὅμως δὲ πλείονες οἱ ἀπολύοντες ἐγένοντο* vel *ἦσαν.* Itaque censeo Plutarchum scripsisse *οὕτως δὲ πλείονες ἔδοξαν οἱ ἀπολύοντες γενέσθαι*, nempe ita ut sorticulae istae, quae proprie absolutariae non erant, tamen inter absolutorias numerarentur. *ὅμως* et *οὕτως* facile confundi potuerunt a librariis, ut et aliis locis confusa sunt, v. Jacobs. ad Ach. Tat. p. 549.

VII. Quam misera sit Galeni librorum conditio et quanta salus ex optimorum codicum collatione eis afferri possit luculenter docuerunt J. Marquardt in observationibus criticis in Cl. Galeni librum *περὶ ψυχῆς παθῶν καὶ ἁμαρτημάτων*, Lips. 1870, nec non H. Diels in commentatione de Galeni historia philosopha, Bonnae 1871 edita. Atque ne una quidem fere pagina est in editione Kuehniana, quin modo gravioribus modo levioribus mendis atque erroribus scripturae foedata sit. Nuper in libro de optima doctrina c. 1 (T. I p. 40 ed. Kühn) haec legi: *οἱ νεώτεροι δέ* (Academicos dicit

philosophos), *οὐ γὰρ μόνος ὁ Φαβωρῖνος, ἐνίοτε μὲν εἰς τοσοῦτον προάγουσι τὴν ἐποχήν, ὡς μηδὲ τὸν ἥλιον ὁμολογεῖν εἶναι καταληπτόν, ἐνίοτε δὲ εἰς τοσοῦτον τὴν γνῶσιν, ὡς καὶ τοῖς μαθηταῖς ἐπιτρέπειν αὐτὴν ἄνευ τοῦ διδαχθῆναι πρότερον ἐπιστημονικὸν κριτήριον. οὐδὲ γὰρ ἄλλο τί ἐστιν, ὃ Φαβωρῖνος εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀκαδημιακῆς διαθέσεως, ὃ Πλουτάρχος ἐπιγέγραπται. λέγει δὲ αὐτὸ ἐν τῷ πρὸς Ἐπίκτητον, ἐν ᾧ δήπουθεν ἐστὶν Ὀνήσιμος ὁ Πλουτάρχου δοῦλος Ἐπικτήτῳ διαλεγόμενος. καὶ μέντοι κἀν τῷ μετὰ ταῦτα γραφέντι βιβλίῳ Ἀλκιβιάδη καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς Ἀκαδημιακοὺς ἐπαινεῖ προσαγορεύοντας μὲν ἑκατέρῳ τῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις λόγων,*' *ἐπιτρέποντας δὲ τοῖς μαθηταῖς αἱρεῖσθαι τοὺς ἀληθεστέρους.* In his rescribendum esse *λέγει δὲ τὸ αὐτὸ*, deinde *Ἀλκιβιάδῃ*, ut sit titulus libri a Favorino compositi, atque tollendum esse *τοὺς* post *ἄλλους* prave iteratum, quivis videt. Ceterum non tam emendationis causa hunc protuli locum, quam propter Plutarchi factam mentionem. De familiaritate, quae inter Chaeronensem philosophum et Arelatensem oratorem intercedebat, dixi in vita Plutarchi p. 58, quo tempore Favorinum in Plutarchi honorem librum aliquem inscripsisse eius nomine ignorabam. Onesimus autem fortasse ille servus est ‚nequam homo et contumax, sed libris disputationibusque philosophiae aures imbutas habens', de quo lepidam narratiunculam Taurus tradidit apud Gellium N. A. I, 26.

VIII. In adhortatione Galeni ad artes addiscendas c. 13 T. I. p. 34 historia de morte Milonis Crotoniatae narratur tironibus, ut discant quam inutilis sit operosa et nimia corporis exercitatio neglecta sapientia. Verba scriptoris haec sunt: *ἐδήλωσε δὲ καὶ ἡ τελευτὴ τἀνδρὸς ὅπως ἦν ἀνόητος, ὅς γε θεασάμενός ποτε νεανίσκον σχίζοντα κατὰ μῆκος ξύλα ἐνθέσει σφηνῶν, ἐκεῖνον μὲν ἀπώθησε καταγελάσας, αὐτὸς δὲ διὰ τῶν ἑαυτοῦ χειρῶν μόνων ἐτόλμησε διασπᾶν αὐτό. Κἄπειθ' ὅσον εἶχεν ἰσχύος εὐθὺς ἐν τῇ πρώτῃ προσβολῇ πληρώσας, διέστησε μὲν ἑκατέρωσε τὰ μέρη τοῦ ξύλου.* Pro *ξύλα* scribendum est *ξύλον*. Quid autem sit *ὅσον εἶχεν ἰσχύος* — *πληρώσας* non expedio. Num *δηλώσας*?

In eodem capite sententia proposita illustratur fabula aliqua, quam vir quidam non inelegans — *τῶν οὐκ ἀμούσων ἀνδρῶν τις* — heroicis versibus incluserat. Fabula haec est: *εἰ Διὸς γνώμῃ πᾶσι τοῖς ζώοις ὁμόνοια καὶ κοινωνία γένοιτο πρὸς τὸν βίον, ὡς τὸν ἐν Ὀλυμπίᾳ κήρυκα μὴ μόνον ἀνθρώπους τοὺς ἀγωνιουμένους καλεῖν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἐπιτρέπειν τοῖς ζώοις εἰς τὸ στάδιον ἥκειν ἕν, οὐδένα ἂν ἄνθρωπον οἶμαι στεφθήσεσθαι. ἐν μὲν γὰρ δολιχῷ ὑπέρτατος, φησίν, ὁ ἵππος ἔσται·*

τὸ στάδιον δὲ λαγωὸς ἀποίσεται· ἐν δὲ διαύλῳ
δορκὰς ἀριστεύσει· μερόπων δ' ἐναρίθμιος οὐδεὶς
ἐν ποσίν. ὦ κοῦφοι ἀσκητῆρες ἄθλιοι ἄνδρες.

ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀφ' Ἡρακλέους τις ἐλέφαντος ἢ λέοντος ἰσχυρότερος ἂν φανείη. οἶμαι δ' ὅτι καὶ ταῦρος πυγμῇ στεφθήσεται. καὶ ὄνος, φησί, λὰξ ὅτι εἰ βούλεται ἐρίσας αὐτὸν τὸν στέφανον οἴσεται. αὐτὰρ ἐν ἱστορίῃ πολυπείρῳ γράψεται ὄνος, ὅτι παγκράτιον νίκησέ ποτ' ἄνδρας.

εἰκοστὴ δὲ καὶ πρώτη Ὀλυμπιὰς ἦν, ὅτ' ἐνίκα
ὀγκητής.

Metricam formam ea referunt verba, quae diductis litteris scripsi. *ἕν* post *στάδιον* abundat et ex ultima syllaba verbi *ἥκειν* male repetita ortum videtur. pro *λὰξ ὅτι* scribendum est *λὰξ ποσί*. In tertio autem versu, nisi gravior aliqua corruptela locum occupavit, pro *ἀσκητῆρες* poeta scripsisse videtur *ἀσκήτορες*, cuius vocabuli analogiam satis tuentur *οἰκήτορες, κοσμήτορες* alia.

IX. Poeta, qui fabulam illam versibus heroicis expressit, Galeno dicitur *τὸν μῦθον ἐντείνας ἔπεσι διασκευάσαι.* Hoc in memoriam vocat locum ex Plutarchi libello de audiendis poetis p. 16 C: *ὁ Σωκράτης ἔκ τινων ἐνυπνίων ποιητικῆς ἁψάμενος αὐτὸς μὲν ἅτε δὴ γεγονὼς ἀληθείας ἀγωνιστὴς τὸν ἅπαντα βίον, οὐ πιθανὸς ἦν οὐδ᾽ εὐφυὴς ψευδῶν δημιουργός· τοὺς δὲ Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν, ὡς ποίησιν οὐκ οὖσαν, ᾗ ψεῦδος μὴ πρόσεστι.* Haec referenda sunt ad Platonis Phaedonem p. 60 D. Sed Plutarchi verba vitiata esse apertum est. Nam frustra Stallbaumius aliique iam ante eum ad tuendam vulgatam lectionem de nomis musicis nos cogitare iubent. Wyttenbachius cum in animadversionibus ad hunc Plutarchi locum, T. I p. 128 ed. Lips., tum in commentario ad Platonis Phaedonem scripto p. 124 *ἐνήρμοζεν* pro *ἐνόμιζεν* scribendum putavit, quae ipsi lenis visa est correctio et probabilis. Sedes autem corruptelae, si quid video, non in verbo, sed in articulo quaerenda est, qui ferri nullo modo potest, quia non de certis quibusdam versibus, sed in universum de hexametris sive de heroici carminis forma sermo est. Eo autem loco, quem iam articulus occupat, in quo fortasse ultima syllaba deperditi adiectivi latet, nonnulla verba intercidisse puto, quibus dictum erat, quid Socrates sibi ex Aesopi fabulis faciendum esse censeret, velut *δεῖν ἐντεῖναι* vel simile quid, quod tamen quale fuerit alii videant. Interea ante *τοῖς* lacunae signa ponenda erunt.

X. Plutarchus de commun. notit. c. 32 p. 1075 E de Stoicis Epicurum insectantibus haec scribit: *καὶ μὴν αὐτοί γε πρὸς τὸν Ἐπίκουρον οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν πραγμάτων, ἰοὺ ἰού, φεῦ φεῦ βοῶντες, ὡς συγχέοντα τὴν τῶν θεῶν πρόληψιν ἀναιρουμένης τῆς προνοίας.* De quo loco Madvigius Advers. crit. I p. 23: ‚apparet nihil hic agere *τὰ πράγματα.* Scripserat Plutarchus: *οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν κεκραγμάτων,* vocabulo Aristophanis utens‘. Semel hoc vocabulum Aristophanes adhibuit Pac. 637, neque apud ullum praeterea scriptorem redit. Fortasse Plutarcho restituendum est *οὐδὲν ἀπολείπουσι τῶν φ ρ υ α γ μ άτων.*

XI. Apud Lucianum in Vera historia II, 25, ubi facetus peregrinator mirabilia narrat, quae sibi cum sociis in beatorum insula evenisse mentitur, haec leguntur: *ὁ Κινύρας ὁ τοῦ Σκινθάρου παῖς μέγας τε ὢν καὶ καλὸς ἤρα ἐπὶ πολὺν χρόνον ἤδη τῆς Ἑλένης, καὶ αὕτη δὲ οὐκ ἀφανὴς ἦν ἐπινῶς ἀγαπῶσα τὸν νεανίσκον· πολλάκις γοῦν καὶ διένευον ἀλλήλοις ἐν τῷ συμποσίῳ.* adverbium *ἐπινῶς*, cuius apud alios scriptores nec vola nec vestigium comparet, in scholiis explicatur per *λίαν*, indeque glossam *ἐπινῶς τὸ λίαν* in Suidae lexicon abiisse censeo. sed frustra talis adverbii quaerimus originem, et scholiastarum hariolatio nihil aliud probat quam vetustam in scriptoris verbis latere corruptelam. Itaque fuerunt qui *ἐπιμανῶς* conicerent. sed lenior mutatio in promptu est, si statuimus librarii oculos e superiore versu in inferiorem aberrasse indeque syllabarum aliquam ortam esse confusionem. nimirum Lucianus ita mihi scripsisse videtur: *καὶ αὕτη δὲ οὐκ ἀφανὴς ἦν δ ε ι ν ῶς ἀγαπῶσα τὸν νεανίσκον· πολλάκις γοῦν καὶ ἐ π ένευον ἀλλήλοις ἐν τῷ συμποσίῳ.*

XII. In libello de morte Peregrini c. 26 scriptor tergiversantem inducit Cynicum et abiecto voluntariae combustionis consilio ad saniorem mentem redire cupientem. sed obstitisse sodales. *οἱ γὰρ συνόντες κύνες παρορμῶσι καὶ συνωθοῦσιν εἰς τὸ πῦρ καὶ ὑπεκκάουσι τὴν γνώμην οὐκ ἐῶντες ἀποδειλιᾶν, ὧν εἰ δύο συγκατασπάσας ἐμπέσοι εἰς τὴν πυράν, τοῦτο μόνον χάριεν ἂν ἐργάσαιτο.* immo *ἕ ν α κ α ὶ δύο.* Confecto spectaculo Lucianus domuitionem parat. sed novi superveniunt spectatores, c. 39: *εἶτα ἐνετύγχανον πολλοῖς ἀπιοῦσιν ὡς θεάσαιντο καὶ αὐτοί.* l. *ἐ π ι-οῦσιν.* Iam multus est noster exponendo, quid rei actum sit. modo simpliciter rem edit, modo figmentis quibusdam auctam et in maius elatam. velut quod de vulture narrat, qui e media flamma sublimis evolasset. cuius mendacii ipse paullo post fructum laete pullulantem tulit. nam in contione quadam

venerabilis senex extitit, qui cum alia de Protei beata morte rettulisset, tum iuramento asseveravit se suis oculis vulturem istum conspexisse, *ὃν ἐγὼ μικρὸν ἔμπροσθεν ἀφῆκα πέτεσθαι καταγελῶντα τῶν ἀνοήτων καὶ βλακικῶν τὸν τρόπον.* verum stultorum irrisor non vultur fuit, sed ipse Lucianus. itaque legendum est *καταγελῶν.*

XIII. In heroum numero, qui Iasonem in nobilissima Argonautarum expeditione secuti sunt, fuit etiam Oileus, in cuius honorem Apollonius Rhodius I, 75 haec scripsit:

ἔξοχος ἠνορέην καὶ ἐπαῖξαι μετόπισθεν
εὖ δεδαὼς δήοισιν, ὅτε κλίνωσι φάλαγγας.

In quibus verbis quod subest vitium miror novissimi editoris fugisse sagacitatem. Nam inaudita ac prope singularis Oilei fuisset virtus, si hostes bene scivisset a tergo persequi sua ipsius acie ab istis inclinata. nam hoc dicit poeta, si vulgatam eius sequimur scripturam. Vexavit olim hic locus Burmannum, qui in catalogo Argonautarum Valerio Flacco praemisso de Oileo ,dotes eius praecipuas fuisse' inquit ,dolo hostes aggredi a tergo, si inclinata esset acies, canit Apollon. I, 75; quod posset intelligi non de acie hostium, sed de sua, in qua pugnabat Oileus, quae cum fugeret, ipse, quasi in tergo manus haberet, insequentes hostes poterat impetere' mirum praeterea in modum ad confirmandam hanc sententiam ad Oileum detorquens, quae de Aiace tradidit Servius in Aen. I, 41. Verum in Apollonio legendum est *ὅτε κλίνῃσι φάλαγγας.* nimirum *ω* ortum est ex *ηι.* Iam vide scholium priori versui adscriptum: *καὶ ἐπαῖξαι] ἀντὶ τοῦ ἐπιδιῶξαι. περιττὸν μὲν τὸ μετόπισθεν, λείπει δὲ ὁ καί, ἵν᾽ ᾖ, καὶ ὅτε κλίνειε φάλαγγας, εἰς φυγὴν τρέψειεν.* In quibus verbis quidquid de omissa quam voluit grammaticus coniunctione statuis, apparet eum in secundo versu singularem verbi numerum legisse, non pluralem.

XIV. In scholiis ad Pind. Ol. V, 42: *Ζεῦ, Κρόνιόν τε ναίων λόφον τιμῶν τ᾽ Ἀλφεὸν εὐρὺ ῥέοντα Ἰδαῖόν τε σεμνὸν ἄντρον* — legitur: *Ἰδαῖον ἄντρον ἐν Ἤλιδι. Δημήτριος ὁ Σκήψιος νεῶν διακόσμου ἱερὸν Διός.* Adnotavit Boeckhius: ,Vrat. A ex quo haec ducta sunt, habet *ὁ σκλῆψις* et *νέων*: scripsi *νεὼν* ad *ἱερόν. Διακόσμου* quid hoc loco sit nescio et videtur depravatum.' Mirum est egregium virum in re simplicissima verum non vidisse. Scribendum est *Δημήτριος ὁ Σκήψιος νεῶν διακόσμῳ* h. e. eo commentario, quem de Graecorum catalogo Homerico composuit, de quo ex Strabone satis constat.

XV. In Aristodemi fragmento nuper a Weschero in Poliorceticis edito, cuius antiquam originem frustra Wachsmuthius et qui eum secuti sunt in dubium vocaverunt, graviora menda dudum Fr. Buecheleri aliorumque sustulit sagacitas. Neglexisse putabam viros doctos vocabulum corruptum in p. 355, 19: *λόγων τε γιγνομένων παρὰ τοῖς Λακεδαιμονίοις ὅτι Ἀθηναῖοι τειχίζουσι τὴν πόλιν, ἀντέλεγε Θεμιστοκλῆς. ὡς δὲ οὐκ ἐπίστευον οἱ Λακεδαιμόνιοι, ἔπεισεν αὐτοὺς πρέσβεις πέμψαι τινὰς ἐξ αὐτῶν εἰς τὰς Ἀθήνας τοὺς γνωσομένους εἰ κτίζοιτο ἡ πόλις,* ubi necessario legendum est *εἰ τειχίζοιτο ἡ πόλις.* Verum hanc emendationem praeoccupavit ut nuper cognovi J. Maehly in Jahnii Annall. 1871 p. 448. Itaque unum tantum habeo, quod in medium proferam, idque pusillum. Ubi fuga Pausaniae in templum Minervae *Χαλκιοίκου* narratur, legimus: *τῶν δὲ Λακεδαιμονίων ἐν ἀπόρῳ ὄντων διὰ τὴν εἰς τὸν θεὸν θρησκείαν κτλ.* scribendum erat *εἰς τὴν θεόν.*

XVI. Mirum est in Horatii carmine septimo libri primi, in cuius v. 27 quae leguntur ,nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro' longam moverunt Bentlei aliorumque disputationem, sequentia verba intacta mansisse a conatibus criticorum et ne interpretibus quidem, ut videtur, magnas paravisse molestias. Nam quae Teucer subiungit quasi fidem facturus orationi suae ,certus enim promisit Apollo

ambiguam tellure nova Salamina futuram' mihi recto sensu destituta videntur. Sane quidem in scholiis, quae Acronis et Porphyrionis nominibus circumferuntur, *ambiguam* explicatur per *duplicem* et *tellure nova* per incognita tellure sive peregrina. Verum Apollo non promiserat duplicem futuram Salamina in terra incognita, sed novam, novum autem non est ambiguum. Itaque aliam explicationem recentiores proposuerunt interpretes, quorum Orellius ad ambiguam adnotavit: ,alteram conditum iri Salamina in insula Cypro, ut, cum Salaminis quis meminerit, ambiguum futurum sit, de qua agatur.' Similiter Ritterus: ,subnata altera eiusdem nominis urbe in Cypro insula Salamina dubiam fore, cum audito nomine nesciant homines, utrum vetus an nova Salamis dicatur.' Verum si haec fuit Horatii sententia, non debebat dicere tellure nova, sed urbe nova, et contortum omnino atque obscurum vaticinium seu promissum tribuit Apollini. Interpretationis huius difficultates vel potius perversitates si non intellexisse at sensisse videtur Nauckius, qui in scholastica sua editione primum quidem adscripsit: ,Salamis werde zweifelhaft sein, d. h. aufhören das einzige seines Namens und Ruhmes zu sein: tellure nova d. h. urbe in novis finibus condenda' — statim vero quasi ipse huic interpretationi diffisus subiungit: ,deutlicher wäre ambiguam Salamine nova Salamina futuram'. Mihi Horatius scripsisse videtur: ambigu*a* tellure nov*am* Salamina futuram. Ambigua tellure est in terra dubia vel incerta, cuius nomen Apollo non distincte indicaverat, cum promitteret novam ipsis Salamina patriam fore. Certus Apollo et ambigua tellure est quasi oxymoron aliquod. Quod autem Orellius Manil. V, 50. Lucan. III, 183. Senecam Troad. 844 huic ambiguae veram Salamina opposuisse putat, Gronovium secutus Observ. I, 3 p. 23 sqq. ed. Lips., frustra fecit. Nam in omnibus his locis scriptura incerta est, et ut concedendum sit veram Salamina indicasse hos poetas, nihil tamen ad Horatium inde sequitur. Omnino Seneca de vera Salamine non loquitur. Nam in mutilo isto et turbatissimo Troadum loco legimus in libris ,Aiacis Salamina ve*ri*', pro quo *visam* proposuit doctus quidam Britannus, *veram* Scaliger, Delrius, Gronovius, *saevi* longe felicius nuper Peiperus.

XVII. Ad Horatii verba in epod. XVII, 73: ,*fastidiosa tristis aegrimonia*' Acron haec adnotasse traditur a nuperrimo scholiorum editore: ,TICAPECTVMENE, *in qua nihil placet. angor. tristitia. quae vitam fastidiat tot suppliciis deditam*'. Haec corrupta sunt et turbata. Lege: ,*δυσαρεστουμένη i. e. cui nihil placet, quae vitam fastidiat tot suppliciis deditam. aegrimonia: angor, tristitia*'. De *δυσαρεστουμένη* nemo dubitabit. Ceterum excedit omnem prope fidem, quod Hauthalius hunc Acronis locum non sanavit, sed stulto emblemate deturpavit ,lege *ΔYCAPECKOMENH*' quasi *δυσαρέσκειν* Graecum esset verbum.

XVIII. Apulej. apolog. c. 4 (p. 7, C ed. Krueger): *haec ego de forma respondissem: praeterea licere etiam philosophis esse vultu liberali. Pythagoram, qui primum se esse philosophum nuncupavit, eum sui saeculi excellentissima forma fuisse.* H. Mueller in Mus. Rhen. XXIII, p. 447 emendavit *primus*. verum etiam pro *se esse* scribendum est *sese*.

XIX. Apud Quintilianum inst. orat. VIII, 3, 54 legitur: *emendavit hoc etiam urbane in Hirtio Cicero, cui sapasi cum declamans filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, ,quid? aliae' inquit ,in perula solent ferre?'* Ita codex optimus Ambrosianus. Vulgo legitur ,*qui cum in Pansam declamans*'. Mirabiliter R. Ungerus excogitavit ,*cum is Pasiphaam declamans*'. Sed mirabilius mihi videtur, quod vir exquisitae doctrinae et sagacitatis M. Haupt in Hermae vol. IV, p. 336 haec sibi de hoc loco excidere passus sit: ,potest autem fieri ut Quintilianus stasin scripserit vel Graecis *στάσιν*'. Nam hoc nec fieri potest, nec potuit. Declamantur controversiae et suasoriae. *στάσεις* controversiarum non magis declamantur, quam *τελικὰ κεφάλαια* in suasoriis adhibita. Verum quid faciamus illa *cui sapasi cum?* Equidem censeo Quintilianum scripsisse: *cum is apud ipsum*

declamans — dixisset‘. cf. Cic. ep. ad fam. IX, 16, 7: *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cenandi magistros, puto enim te audisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cenitare*‘.

XX. Senecae verba in ep. 5, 7: *desines inquit timere, si sperare desieris. dices quomodo ista tam diversa pariter sunt?* recte iam olim emendasse mihi videor scribendo: *dices: quid ergo? ista tam diversa pariter eunt?* Nam cum haec apud Senecam subsequantur verba: *ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, coniuncta sunt. quemadmodum eadem catena et custodiam et militem copulat, sic ista, quae tam dissimilia sunt, pariter incedunt: spem metus sequitur* — primum apparet *quomodo* corruptum esse. nam interroganti alicui ‚quomodo ista sunt?‘ nemo respondere potest ‚ita est‘. Etiam Haasius in praefatione p. XXVI proposuit: *dices: ergo ista tam div.* rell. sed *quid ergo?* magis ad consuetudinem Senecae accedit. Alteram vero emendationem *eunt* pro *sunt* ipsa Senecae periphrasis ‚*pariter incedunt*‘ satis commendat. Eadem medela adhibenda videtur Cl. Mamertino in Genethliaci c. 11: ‚*clamare omnes prae gaudio, iam sine metu vestri, et palam manu demonstrare: vides Diocletianum? Maximianum vides? ambo sunt: pariter sunt. quam iunctim sedent! quam concorditer colloquuntur! quam cito transeunt*‘ — ut scribatur: ‚*ambo pariter eunt*‘. Nam *pariter sunt* non minus hic, quam superiore loco soloecum est, *ambo sunt* per se stare non potest. Verum etiam *sedendi* vocabulum ab hoc loco alienum esse censeo, ubi de cito imperatorum transitu querentem facit coronam (addit scriptor: *nemo studio suo par fuit oculis ad intuendum: dumque vos alterna cupiditate mirantur, neutrum satis videre potuerunt*). Num scribendum: *quam iunctim incedunt?*

XXI. Omnino Senecae scripta incredibilem in modum eo vitiorum genere depravata esse, quorum medela in una litterula vel immutanda vel addenda vel detrahenda versatur, post Haasium cum Mauricius Haupt ostendit, tum nuper Nicolaus Madvigius in divino illo opere Adversaria critica inscripto, quod iam omnes philologi legunt et relegunt. Eiusmodi menda et ipse quoque nonnulla repperisse mihi videor. Velut in epistula tertia, cuius hoc est initium: *epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo. deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia non soleas ne ipse quidem id facere: ita eadem epistula illum et dixisti amicum et negasti. itaque sic priore illo verbo quasi publico usus es et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus* — prius *sic* cum *quasi* non bene convenit. scripserat Seneca ni fallor: *itaque hic — usus es.* — Ep. 8, 3 dicit philosophus: *quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia devitet, in quibus hoc quoque miserrimi fallimur: habere nos putamus, haeremus.* Legendum est *miserrime.* quomodo vero is, qui haeret in aliqua re, eam habere se putet, non intellego. itaque restituendam esse censeo coniecturam Mureti: *habere nos putamus, habemur.* Expressit Seneca Aristippi illud: ἔχω, οὐκ ἔχομαι. Schweighaeuserum vero, qui *haerere* tam Graeco ἔχεσθαι respondere putavit, quam *viscatis beneficiis* non moror. — In eadem epistula § 5 legimus: *domus munimentum sit adversus infesta corporis. hanc utrum caespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest.* Sane quidem Tac. Germ. c. 27 de tumulis Germanorum *sepulcrum* inquit *caespes erigit.* Domum autem, si quid video, neque caespes, neque varius lapis potest erigere. legendum est *texerit.* pergit auctor: *scitote tam bene hominem culmo quam auro tegi.*

XXII. Omnino dolendum est prae vetustiorum librorum scriptura, et in Seneca vel vetustissimi turpiter vitiis inquinati sunt, multa a prioribus editoribus iam recte emendata Fickertum et Haasium neglexisse. Velut in eadem epistula, quo loco sententiam ex Epicuro non ex Stoico aliquo relatam tuetur Seneca, non enim tam Epicuri, quam publicas istas voces putandas esse, philosophi

verba ita eduntur: *quam multi poetae dicunt, quae philosophis aut dicta sunt aut dicenda! non adtingam tragicos nec togatas nostras. habent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter comoedias ac tragoedias mediae: quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet!* — vulgatam scripturam ‚*quam multa poetae dicunt*' praeferre non dubito. Puto autem Senecam non *tragicos* scripsisse sed *tragoedias.* alioqui mirum esset eum de togatis et mimis loqui, non de togatarum mimorumque poetis. atque verba *et sunt inter comoedias ac tragoedias mediae* pro glossatoris alicuius additamento habeo. Nam cui Romanorum hoc putas ignotum fuisse? et postquam scriptor dixit habere togatas quoque aliquid severitatis, nonne absurdum erat tam futilem sententiam addere per *et* connexam? Ceterum aliis quoque locis grammaticorum interpolationes inter scriptoris verba deprehendisse mihi videor. Veluti in eis, quae ep. 14, 8 leguntur: *cum peteres Siciliam, traiecisti fretum. temerarius gubernator contempsit austri minas (ille est enim qui Siculum pelagus exasperet et in vertices cogat). non sinistrum petit litus, sed id, quo propior Charybdis maria convolvit. at ille cautior peritos locorum rogat, quis aestus sit, quae signa dent nubes. longe ab illa regione verticibus infami cursum tenet* — in his inquam omnia verba ab *ille est enim* usque ad *maria convolvit* mihi valde suspecta sunt. Nonne ineptus fuisset Seneca, si Siciliae procuratorem hominem litteris familiarem quique iam ipse fretum traiecerat de vento edocuisset fretum exasperante deque aliis rebus, quas ille multo accuratius nosse debebat quam ipse? Accedit quod Seneca, ut in ep. 79 legimus, Scyllam quidem saxum esse neque id navigantibus terribile bene sciebat, Charybdis autem an responderet fabulis, utrum uno tantum vento ageretur in vertices an omnis tempestas aeque mare illud contorqueret aliaque se ignorare fassus est. Remota autem interpolatione propter *rogat* necesse est, ut cum Mureto *contemnit* vel potius *contempnit* scribamus. Etiam manifestior interpolatio ep. 100, 9 obsedit. Laudat in hac epistula scriptor Fabianum Papirium, quem Lucilius non respondisse expectationi suae imprimis propter compositionem scripserat. ‚*adfer*' inquit ‚*quem Fabiano possis praeponere. dic Ciceronem, cuius libri ad philosophiam pertinentes paene totidem sunt, quot Fabiani: cedam, sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. dic Asinium Pollionem: cedam et respondeamus: in re tanta eminere est post duos esse. nomina adhuc T. Livium. scripsit enim et dialogos, quos non magis philosophiae adnumerare possis quam historiae, et ex professo philosophiam continentis libros: huic quoque dabo locum: vide tamen, quam multos antecedat, qui a tribus vincitur et tribus eloquentissimis.* Livium scripsisse dialogos et libros philosophiam ex professo continentes Lucilius ignorare non potuit, et si ignoravit, aut ignorare eum credidit Seneca, non poterat ab eo expectare, ut Livium nominaret. Omnia ista verba a *scripsit enim* ad *continentis libros* docto alicui debentur grammatico, qui haec ad marginem adscripserat, quae alii post eum ineptissime in ipsius scriptoris verba intulerunt.

XXIII. Ep. 9, 16 quaerenti Lucilio, qualis tamen futura sit vita sapientis, si sine amicis relinquatur in custodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena destitutus, vel in navigatione longa retentus, aut in desertum litus eiectus, respondet Seneca: *qualis et Iovis, cum resoluto mundo et dis in unum confusis paulisper cessante natura adquiescit sibi cogitationibus suis traditus.* Legendum videtur *cum — adquiescet*, nam de futura aliqua re, ut in primo redditionis membro, in altero quoque sermo est.

XXIV. Duo vitia repperisse mihi videor in epistula 12. Laudat Seneca senectutem, non praecipitem quidem, sed iam devexam. et obicienti Lucilio: *molestum est mortem ante oculos habere,* reponit: *primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuveni. non enim citamur ex censu.* Quid censui cum aetate sit non intellego, sed quomodo corruptum vocabulum emendandum sit nescio. In extrema huius epistulae parte sic omnem diem ordinandum esse docet Seneca, quasi agmen cogat et vitae ultimus sit. Itaque eodem modo sed alia mente sapienti faciendum esse, quod Pacuvius quidam

homo delicatus et luxuriae deditus cotidie fecisset, ut funebribus epulis sibi parentaret, et in cubiculum ferretur e coena quasi mortuus, dum inter plausus exoletorum ad symphoniam caneretur *βεβίωται, βεβίωται.* ‚*Pacuvius*‘ inquit ‚*qui Syriam usu suam fecit*‘. Hoc quid sit non intellego. puto scripsisse Senecam ‚*qui Syriam usura suam fecit*‘ i. e. ingenti fenore totam provinciam exhausit. Nam ab eiusmodi negotiis primores Romanorum non abhoruisse ipse Seneca exemplo est, nisi iniuste calumniatur Cassius Dio LXII, 1, quo loco inter causas defectionis Britannorum eam quoque rettulit, *ὅτι ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας ἄκουσιν ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας, ἔπειτ᾽ ἀθρόας τε ἅμα αὐτὰς καὶ βιαίως εἰσέπρασσεν.*

XXV. In epistula 18. Saturnaliorum tempore scripta dicit Seneca se cum Lucilio, si Romae esset, libenter collaturum esse, quid existimaret esse faciendum: utrum nihil ex cotidiana consuetudine movendum, an aliquid dandum esset communi festorum dierum laetitiae. sine dubio suasurum esse amicum, ut in his quoque rebus medium teneatur, nisi forte his maxime diebus animo imperandum sit, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuerit, certissimum enim argumentum firmitatis suae capere, si ad blanda et in luxuriam trahentia nec eat nec obducatur. ‚*Hoc multo fortius est*‘ inquit ‚*ebrio ac vomitante populo siccum et sobrium esse. illud temperatius, non excerpere se nec insigniri nec misceri omnibus et eadem, sed non eodem modo facere.*‘ Verum postrema, si quid video, non bene conveniunt. Nam qui se non excerpere vult, is debet misceri omnibus, et rursus qui non omnibus miscetur, is non potest eadem facere quae reliqui. Itaque scribendum videtur: *sed misceri omnibus* — ut est in codice Ludovici Trossii, quem Fickertus ipse inter optimos referendum esse dixit.

XXVI. Ep. 24, 1: *est sine dubio stultum, et quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum.* Ita Haasius edidit ex optimo codice Parisino. reliqui *et* omittunt. neque ferri potest haec vocula, sed scribendum est *te.* — Ep. 27, 1: *tu me, inquis, mones? iam enim te ipse monuisti, iam correxisti? ideo aliorum emendationi vacas?* fortasse *adeo.* — Ep. 29, 2: *quare inquis verbis parcam? gratuita sunt. non possum scire, an ei profuturus sum, quem admoneo: illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. spargenda manus est. non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti.* Non manus spargitur, sed manu. scripsit Seneca: *spargendum manu est.* deinde *aliquantum,* nam *aliquando* sequenti *multa* non respondet. — Ep. 38, 2: *eadem est, inquam, praeceptorum condicio quae seminum: multum efficiunt, et angusta sunt. tantum, ut dixi, idonea mens rapiat illa et in se trahat.* immo *capiat,* ut fuit in codice aliquo Argentoratensi et legitur Fickerto teste in editione quam Mentelini esse volunt. antea dixerat Seneca: *sed si illa animus bene excepit, convalescunt et exsurgunt.* — Ep. 49, 1: *ecce Campania et maxime Neapolis ad Pompeiorum tuorum conspectum incredibile est, quam recens desiderium tui fecerint.* immo: *ac Pompeiorum tuorum conspectus.* — Ep. 58, 8: *sex modis hoc* (scilicet *τὸ ὄν*) *a Platone dici amicus noster, homo eruditissimus, hodierno die dicebat.* non *dicebat,* opinor, sed *docebat.* In eis quae sequuntur: *homo species est, ut Aristoteles ait, equus species est. canis species est* — alienissima est Aristotelis mentio. nam Platonis doctrinam exponit Seneca Stoicorum logica in auxilium vocata. Quin ex margine in ipsum scriptorem irrepserint verba *ut Aristoteles ait* non dubito. In extrema epistula § 33 legitur in libris: *de hoc tamen quaeremus, pars summa vitae utrum ea haec sit an liquidissimum ac purissimum quiddam.* Haasius emendavit et edidit: *utrum [ea] faex sit.* nam praecedunt apud Senecam haec verba: *prope est a timente, qui fatum segnis expectat, sicut ille ultra modum deditus vino est, qui amphoram exsiccat et faecem quoque exsorbet.* Consummata erit emendatio scribendo *utrumne.*

XXVII. Fabulae deae memoriam cum Manium cultu coniunctae apud Horatium carm. I, 4, 16 feliciter nuper resuscitavit A. Reifferscheid in Analectis Horatianis Vratislaviae a. 1870 editis. Hausit eius notitiam vir doctissimus e Plutarchi Quaest. Rom. c. 35 et ex Lactantii Inst. div. I, 20: ‚*nec hanc solam (Accam Larentiam) Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.*' Adnotavit Reifferscheidius: ‚repone Favulam id est solito scribarum errore Fabulam'. Verum hanc ipsam ego scripturam dudum mihi enotaveram e Lactantii codice Lipsiae in bibliotheca senatoria servato, recente quidem, nam saec. XV. Venetiis scriptus esse videtur, sed qui in nominum propriorum scriptura (Laumedon, Alcimena vel Alcumena, ponte Molbio) et in aliis quibusdam melioris traditionis memoriam servavit. Ceterum hoc eam tantum ob causam commemoravi, ut aptam aliquam ad Lactantium haberem transitionem, in cuius elegantissimi et iucundissimi scriptoris institutionibus divinis locos quosdam invenisse mihi videor non recte scriptos.

Velut II, 16 de daemonibus dicit scriptor: *ita hominum credulitatem mentita divinitate deludunt, quod illis verum aperire non expedit.* praestabit opinor *veram* scribere. — III, 4 in omnibus quantum scio editionibus haec leguntur: *ergo, si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit, nec opinari oportet, ut Zeno, tota philosophia sublata est. quid, quod non tantum ab his duobus evertitur, qui philosophiae principes fuerunt, sed ab omnibus, ut iam videatur iampridem suis armis esse confecta* — nisi quod in Tornaesiana, quam ex peculiari aliquo eoque bono codice fluxisse credunt, subversa sententiae structura scriptum est *confractam.* Verum quis unquam audivit iam iampridem latine coniungi posse? Scribendum videtur: *ut eam videamus iampridem suis armis esse confectam.* — In eodem capite afferuntur Terentiana ex Heauton timorumeno v. 503: ita comparatam esse hominum naturam omnium rell. sed in omnibus editionibus, quas novi, praeter Tornaesianam male post ita inculcatum est *enim.* Abest haec vocula cum in Lipsiensi codice supra laudato, tum in Berolinensi (MS. theol. lat. Fol. 266), quem contuli. Interpolata est coniunctio a sciolo aliquo, qui obliqua structura seductus non Terentii sed ipsius Lactantii esse haec verba putavit.

XXVIII. Idem postquam III, 6 de Academicis disputavit, qui nihil sciri posse, et de Physicis, qui omnia sciri posse putabant, pergit: *itaque neque hi clara, neque illi obscura viderunt: sed utrique, dum solam scientiam consertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt in medio constitutam fore, quae illos ad sapientiam transmitteret.* In quibusdam codicibus pro *fore* legitur *forem.* Emendationis viam indicant quae paullo ante dixerat Lactantius: *ita quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce praeditum est, alterum tenebris, pars nobis data est scientiae, pars ignorantiae. per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet.* Itaque priore quoque loco rescribendum mihi videtur: *in medio constitutum pontem, qui* rell. — III, 12: *summum igitur bonum sola immortalitas invenitur, quae nec aliud animal, nec corpus attingit, nec potest cuiquam sine scientiae virtute, id est sine dei cognitione ac iustitia provenire.* Immo *sine scientia et virtute.* nam infra legitur: *igitur ex omnibus philosophis, qui aut pro summo bono scientiam, aut virtutem sunt amplexi, tenuerunt quidam viam veritatis, sed non pervenerunt ad summum. haec enim duo sunt, quae simul efficiant illud, quod quaeritur. scientia id praestat, ut quomodo, et quo perveniendum sit, noverimus, virtus, ut perveniamus.* — III, 14 afferuntur Lucretii versus e libro quinto, quibus primus sapientiae inventor laudatur. quibus allatis Lactantius ‚*unde apparet*' inquit ‚*aut Pythagoram voluisse laudare, qui se primus, ut dixi, philosophum nominavit: aut Milesium Thalem, qui de rerum natura primus traditur disputasse.* Post Pythagoram excidit *eum.* — III, 28 tradit scriptor ex Cicerone Tusc. III, 28 Aristotelem veteres philosophos accusantem dixisse eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam: sed se videre, quod paucis annis magna accessio

facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore. pergit: *quod igitur fuit illud tempus, quo more, quando est aut a quibus absoluta?* non *quo more*, sed *quo modo*. — IV, 14: *atqui ab eo tempore, quo Zacharias fuit, usque ad annum quintum decimum imperii Tiberii Caesaris, quo Christus crucifixus est, prope quingenti anni numerantur; siquidem Darii et Alexandri adolevit aetate, qui fuerunt non multo post, quam Tarquinius Superbus exactus est.* Alexandri nomen cum *Artaxerxi* commutandum est. — IV, 20: *illuminati ab eo sumus, qui nos testamento suo adoptavit et liberatos vinculis malis atque in lucem sapientiae productos in hereditatem regni coelestis adscivit.* non *vinculis malis*, sed *vinculis mali*. — IV, 23: *si enim bona sunt, quae praecipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse praeceptor a numero coetuque hominum segregare, inter quos agit, et ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum.* immo: *sed ipsi*. — IV, 27: *si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? aut quomodo utriusque generis honorem cultumque miscebimus?* excidit *non* ante miscebimus. — IV, 28: *cur igitur sit in culpa et nomen reprehensibile suscipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut deos satis honorat, laudatur autem, qui minus?* in quibusdam codicibus pro *satis* legitur *magis*, quod glossema indicat scriptum fuisse *satius*. — VI, 13: *nam si deorum cultores simulacra insensibilia excolunt, et quidquid pretiosi habent, in ea conferunt, quibus nec uti possunt, nec gratias agere, quod acceperint: quanto iustius est et verius viventis dei simulacra excolere, ut promereare viventem?* pro *quibus* legendum est *quae his*. — VI, 23: *his obscenitatibus animas ad sanctitatem genitas velut in coeni gurgite demersit, pudorem extinxit, pudicitiam flagitavit.* ita plerique libri. in quibusdam legitur *flagiciavit*, quod correctoris est. aliorum glossemata *fugavit, profugavit, profligavit* indicant scriptum fuisse *exagitavit*. — VII, 3 exagitatur eorum sententia, qui haec omnia, quae videamus, dei membra esse existiment. tum ne arari quidem posse sine laceratione divini corporis, ut iam scelerati atque impii simus, qui dei membra violemus. quaerit deinde Lactantius: *patiturne ergo vexari corpus suum deus, et debilem se vel ipse facere, vel ab homine fieri sinit?* pro *facere* Heumannus proposuit *facit*. fortasse *fatetur*.

XXIX. Multas interpolationes in Lactantii verba irrepsisse neque novum, neque in scriptore plurimum lectitato mirum est. De Lucretio apud eum II, 3 haec legimus: *quos homines idem ille philosophus et poeta graviter accusat tamquam humiles et abiectos, qui contra naturae suae rationem ad veneranda se terrena prosternant. ait enim: ‚et faciunt animos humiles formidine divum, depressosque premunt ad terram.' aliud quidem ille, cum haec diceret, sentiebat; nihil utique esse colendum, quia dii humana non curent. denique alio loco religiones et cultus deorum inane esse officium confitetur rell.* Quo loco quis non videt verba *aliud — curent* in margine olim adnotata fuisse a lectore aliquo, qui Lactantium Lucretii locum perperam intellexisse indicabat, neque ab ipso scriptore profecta esse? Manifestum glossema habemus II, 14, ubi scriptor de malis daemonibus ‚*adhaerent*' inquit ‚*singulis hominibus, et omnes ostiatim domos occupant, ac sibi geniorum nomen assumunt: sic enim latino sermone daemonas interpretantur*'. atque in Lipsiensi et Berolinensi codice scriptum est *interpretatur*. Nempe ubi inter ipsa scriptoris verba receptum est glossema, secuta est numeri mutatio. Contra II, 5: *sed illi, dum student id, quod falso susceperant, confirmare, et sensibilem esse mundum et deum, argumentorum consequentia non viderunt*, verba *et sensibilem — deum* sine idonea causa in suspicionem vocasse mihi videtur Davisius in cur. sec. ad Hirtii bell. Alex. c. 68.

XXX. Tryphonis libellum de tropis post Blomfieldium e codice Vratislaviensi Redigerano auctoris nomine destitutum ediderunt Passovius et Schneiderus. Scripturae varietatem ex hoc codice enotatam accuratissime Walzius inseruit editioni Tryphonis in Rhet. Gr. T. VIII p. 728 sqq. Itaque ex nova codicis collatione, quam ipse institui, fere nihil lucratus sum. P. 730, 1 legitur in codice

non ῥηθεῖεν, sed ῥηθείησαν. P. 731, 7: ὁ ἐκ πύξου κατεσκευασμένος γρόνθος. l. 11: καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὸ τῆς γυναικός. P. 733 in primo versu adnotationis Walzianae pro ἔχευεν legendum est οἷον. P. 740, 15: λέγεται δὲ ἡ ὀνοματοποιία. P. 741 in adnot. v. 9 deleatur εἴληπται. Scriptoris verba una littera augentur p. 755, 18, ubi in codice recte προστίθεται legitur, non προτίθεται.

XXXI. In codice miscello, saeculi XV., partim membranaceo, partim chartaceo, qui a Martino Crusio Tubingensi per D. Spachii et M. Berneggeri manus in bibliothecam Gymnasii Fridericiani Vratislaviensis migravit, quique Platonis Lysin et Lachetem continet a. 1840 a Schneidero collatos, inter alia f. 79 sq. inest etiam oratio Aristidis in Bacchum scripta (or. IV, T. I p. 47 ed. Dind.). Ex satis inutili scripturae varietate, quam inde enotavi, duae tantum lectiones memorabiles mihi visae sunt. P. 47: ἐπειδὴ ἐκύει ἡ Σεμέλη, ὁ Ζεὺς βουλόμενος ἀμφότερα αὐτὸς ᾧ Διονύσῳ γενέσθαι πατήρ τε καὶ μήτηρ — scriptum est τῷ Διονύσῳ, ac profecto vulgatum illud ᾧ nescio quid fatui habet. P. 49 autem: καὶ μὴν καὶ τὴν Ἥραν λέγουσιν ὡς μόνος θεῶν τῷ υἱεῖ διήλλαξε κομίσας τὸν Ἥφαιστον ἄκοντα εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ ταῦτα γε ἀναθεὶς ὄνῳ, inepte quidem in isto libro scriptum est καὶ ταῦτα τ' ἀναθεὶς ἄνω, sed recte fortasse τῷ Διὶ pro τῷ υἱεῖ.

XXXII. Maximilianus Sengebusch in dissertatione Homerica priore optimae frugis plenissima p. 108 et 127 probavisse sibi visus est Homeri libros, quibus temporibus Aeschines scripsit, medio saeculo quarto a. Chr., admodum fuisse depravatos. Nam in quattuor locis ab Aeschine in Timarchea prolatis nullum esse sine scripturae discrepantia eaque tali, ut ab Aristarcho repudiata sit. Quo loco illud neglexit vir doctissimus, quod mihi in hac disputatione recte instituenda permagni videtur momenti, diversam scilicet locorum in Aeschine conditionem esse. Nam semel tantum, Tim. § 144, Aeschines ipse Homericos versus recitat. dicit enim: ἔστι δὲ τὰ ἔπη, ἃ ἐγὼ νῦν ὑμῖν μέλλω λέγειν, atque sequuntur sex versus ex Σ 324 — 329 petiti, in quibus ita tantum ab Alexandrinorum recensione recedit, ut extremo versu pro ἐρεῦσαι habeat ἐρεύθειν. Contra in reliquis locis versus non ipse recitat, sed recitari iubet a scriba publico. § 147: ἵνα δὲ καὶ διὰ τοῦ μέτρου τὰς γνώμας ἀκούσητε τοῦ ποιητοῦ, ἀναγνώσεται ὑμῖν ὁ γραμματεὺς τὰ ἔπη τὰ περὶ τούτων, ἃ Ὅμηρος πεποίηκε. λέγε πρῶτον κτλ. coll. § 149. 150. Isti scribae iubente oratore etiam leges, decreta, testimonia recitabant, omnino scripta qualiacunque. Constat autem eiusmodi emblemata in antiquis oratorum exemplaribus ab ipsis publicatis non scripta fuisse, sed recentiore demum aetate a grammaticis vel librariis interdum addita esse, in eisque multa proprio Marte a sciolis istis conficta, ut iis aut nulla, aut exigua certe fides habenda sit. Tali modo potuerunt etiam Homerici versus, quos olim orator in contione recitari iusserat, suis quique locis oratoris verbis inculcari, ut appareat, quam incerto et lubrico fundamento viri docti superstructa sit sententia de depravato Homeri codice ab ipso Aeschine in usum suum adhibito. Nam cum res eo redeat, ut Aeschinem uno vocabulo ab Aristarcho recedere videamus, et alio loco in eiusdem orationis § 141 verba φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε proferre, quae saepe in Homeri Iliade legi tradit, quamvis in nostro Homero nusquam compareant, id quod errori oratoris tribuendum esse censeo, certe ex tam exilibus indiciis probabile aliquod argumentum duci non potest.

XXXIII. Liceat mihi hoc loco commentationis meae per saturam conscriptae rursus ad Horatium redire. In cuius impeditissimo et difficillimo carmine, quod primi libri secundum locum tenet, v. 21 sq. leguntur haec verba: audiet cives acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent,
audiet pugnas vitio parentum
rara iuventus.

De quibus quae Hofmanus Peerlkamp adnotavit dicendum fuisse *cives contra cives* adeo viris doctis placuerunt, ut L. Muellerus coniceret ‚audiet cives *cecidisse ferro*', E. Baehrensius autem: ‚audiet cives *iacuisse ferro*'. Male se habere illud ‚cives acuisse ferrum' cum id ipsum desideretur, in quo summa sententiae vertitur ‚contra cives' cum Muellero facile quisque concedet. Verum in hoc carmine tam multa male se habent, ut si omnia coniectando removere velis, nullus coniectandi sit finis. Multo magis equidem in grammatica huius loci ratione haereo. Ac sane quidem Peerlkampius ‚iuventus' inquit ‚non sunt posteri, sed ipsa iuvenum praesens aetas, quae bella non audiet, sed videt'. Verum hoc commutabile est. Quia poeta *audiet* scripsit, non *audit*, vel *videt*, apparet eum de posteris verba fecisse. At si haec erat sententia poetae, ut aliquando tempus venturum esse diceret, quo vitio parentum rara iuventus audiret maiores suos acuisse ferrum h. e. bello civili vires suas absumpsisse, non poterat scribere *quo graves Persae melius perirent*, sed *periissent*, vel *perissent*, quia hoc non ad posterorum sed ad maiorum tempus et animos referendum erat. Sed videant doctiores.

XXXIV. Finem scribendi faciam duobus versibus heroicis, qui parum venuste ad aurem accedunt, quorum alter e Romano poeta, e Graeco alter petitus est. Siquidem pessimus est Lucilii versus apud Ciceronem Tusc. I, 5, 10:

saxum sudans nitendo neque proficit hilum,

quia diaeresi post primum et secundum pedem nec non caesura semiseptenaria laborat nulla incisione in secundo tertiove pede mollita. Fortasse verba transponenda sunt in hunc modum: *saxum nitendo sudans*. Graecus versus legitur in Luciani Alexandro c. 28: *μηκέτι δίζησθαι νούσοιο λυγρῆς ἐπαρωγήν*. Trochaeus in quarto pede ferri non potest. Legendum *νούσου*.

Index Scriptorum.

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung des Gymnasiums.

Prima.

Ordinarius: der Director. Cursus zweijährig.

Religion, 2 St. Lehrbegriff der evangelisch-lutherischen Kirche im Anschluß an die confessio Augustana und den kleinen Katechismus mit Benutzung des Hollenbergschen Hülfsbuchs. Lecture des Römerbriefes und ersten Korintherbriefes unter Heranziehung des Urtextes. Repetition der Geschichte des Reiches Gottes im Alten Bunde. Wiederholung der auf den unteren Stufen gelernten Lieder, Sprüche und Bibelabschnitte. Ord. — Deutsch, 3 St. Uebersicht über die Geschichte der deutschen Litteratur, von Anfang an bis zum Beginn der klassischen Periode. Dispositionsübungen mit Benutzung des Hieckeschen Lesebuches. Vierwöchentlich ein Aufsatz. Freie Vorträge. Herr Pror. Dr. Kirchner. — Lateinisch, 8 St. S. Cic. de nat. deor. II. W. Tacitus Germania. Cic. orator 1—22. Horaz Oden III, 23. IV. I. Freie Vorträge und Disputationsübungen. Vierwöchentliche Aufsätze, vierzehntägige Exercitien und Extemporalien. Ord. — Griechisch, 6 St. S. Thucyd. I. mit Auswahl. Hom. Il. VII—IX. W. Plato Protagoras. Soph. Oed. Rex. Hom. Il. X—XIV. cursorisch. Erweiterung der Syntax im Anschluß an die Lecture; vierzehntägige Extemporalien und Exercitien. Herr Pror. Dr. Kirchner. — Französisch, 2 St. S. Schockel Tableaux de la guerre en 1866. W. Descartes discours de la méthode. Erweiterung der Syntax im Anschluß an die Lecture; vierzehntägige Exercitien und Extemporalien. Ord. — Mathematik, 4 St. Stereometrie. Abschluß der Planimetrie. 1 St. durchgängig zur Lösung mathematischer Aufgaben und zur Repetition benutzt. Vierzehntägig eine schriftliche Arbeit. Herr Oberl. Dr. Noß. — Physik, 2 St. Wärmelehre. Mechanik fester Körper. Ders. — Gesch. u. Geogr., 3 St. Deutsche Geschichte der neueren Zeit mit Wiederholung der Geschichte des Alterthums. Herr Pror. Dr. Kirchner. — Hebräisch, 2 St. Repetition und Erweiterung des grammatischen Pensums der Secunda. Uebungen im schriftlichen Uebersetzen aus dem Deutschen ins Hebräische. Lecture und Erklärung ausgewählter Stücke aus dem Buche der Richter. Herr Dr. Armbruster.

Themata zu den Deutschen Aufsätzen: 1. Die Schilderungen in Goethes Hermann und Dorothea nach den Principien des Laokoon beurtheilt. 2. Was ist Ehre? 3. Die Gründe des Aufschwungs unserer Litteratur im zwölften Jahrhundert (Clausur). 4. Der sterbende Siegfried (eine poe-

tische Uebersetzung aus dem Nibelungenliede. 5. Die Treue im Nibelungenliede (Clausur). 6a. Die Wirksamkeit des Zeus in der Ilias. b. Die Schuld des Kreon in der Antigone des Sophokles. 7. Kein Mensch muß müssen. 8. Warum ist kein deutscher Fluß gleich dem Rheine gefeiert worden? (Clausur). 9. Die Parodos im Oedipus tyrannus des Sophokles (poetische Uebersetzung). 10. Wodurch erregt König Oedipus unser Mitleid?

Themata zu den Lateinischen Aufsätzen: 1. Inferorum Vergilianorum descriptio. 2. Scutum Achillis in Homeri Iliade cum scuto Aeneae in Vergilii Aeneide comparatur. 3. Respublica Romana calamitatibus acceptis maiores animos habuit quam rebus secundis (Clausur). 4. Similitudines Vergilianae. 5. Quod Livius III, 44 ait non finem solum eundem decemviris quam regibus, sed causam etiam eandem imperii amittendi fuisse, accuratius exponatur et examinetur (Clausur). 6a. Horatii carmina libri primi Ovidii comparatione illustrantur. b. Quomodo Xerxes expeditionem in Graeciam paraverit Herodoto duce exponitur. 7. De diversis hominum studiis secundum Horatii carminum libri primi primum. 8. Fortitudinem indolemque ingenuam, nisi temperantia accesserit, satis valere ad consilium propositum exequendum cum Ilias negaverit, Odyssea quantum quis ratione, consilio, moderatione, constantia possit, Graecos docendos suscepit (Clausur). 9. Scriptorum Romanorum iudicia de Germanorum moribus, virtutibus ac vitiis, a Sullae temporibus usque ad Trajani aetatem exponuntur et examinantur. 10. De allegorica interpretatione Horatii I, 14.

Aufgaben für die Abiturienten: Deutsch: M. Inwiefern haben die letzten Kriege die Vaterlandsliebe der Deutschen erhöht? O. Wodurch ist Friedrich II. volksthümlich geworden? — Lateinisch. M. Horatius Epicuri sectator. O. Respublica Romana quibus virtutibus floruerit, quibus vitiis conciderit, quaeritur. — Mathematik. M. 1) In einem geraden Kegel ist die Seitenlinie $s = 89'$, die Differenz der Höhe und des Radius der Grundfläche $d = 41'$, wie groß ist der Mantel und das Volumen des Kegels? 2) Ein Dreieck durch eine Linie, welche auf einer der Seiten senkrecht steht, zu halbiren. 3) In einem Paralleltrapez kennt man die längere Parallelseite und die ihr anliegenden Winkel. Wenn nun die Verlängerung der nicht parallelen Seiten bis zu ihrem Durchschnittspunkt, beziehungsweise diesen Seiten gleich sind, wie groß ist der Inhalt des Trapezes? $a = 8$. $\alpha = 73^0\ 18'\ 2{,}75''$. $\beta = 63^0\ 26'\ 5{,}82''$. 4) Von 5 Zahlen bilden die 3 ersten eine geometrische, die 4 letzten eine arithmetische Reihe. Die Summe der vier letzten $= 20$, das Product der 2. und 5. $= 16$. Wie heißen die Zahlen? O. 1) Aus dem Orte A reitet um 7 Uhr Morgens ein Reiter nach dem zwei Meilen entfernten Orte B, um von hier mit der Post weiter zu fahren. Als er in B ankommt, ist die Post bereits um 8 Uhr abgefahren. Er beschleunigt daher seinen Ritt, so daß er gegen seine bisherige Geschwindigkeit auf je eine Meile 10 Minuten gewinnt, und holt die Post um 9 Uhr ein. Wie schnell ritt er Anfangs, und wie schnell fuhr die Post, wenn diese zu einer Meile 5 Minuten mehr braucht als der Reiter Anfangs? 2) Von einem Punkte außerhalb eines Kreises eine Secante zu ziehen, welche durch die Peripherie des Kreises stetig getheilt wird. Die in den Kreis fallende Sehne soll der größere Abschnitt der Secante werden. 3) Den Inhalt eines Dreiecks aus dem Verhältniß zweier Seiten ($a : b = 6 : 11$), dem eingeschlossenen Winkel ($\alpha = 43^0\ 52'$) und der Höhe auf die größere jener beiden Seiten ($h = 54'$) zu berechnen. 4) Die Axe eines schiefen Cylinders, a' lang, ist gegen den Grundkreis unter einem Winkel α geneigt; seine Höhe ist der Peripherie des Grundkreises gleich. Wie lang ist die Seite eines Würfels, dessen Inhalt dem des Cylinders gleich ist? $a = 15'$. $\alpha = 67^0\ 18'\ 50''$.

Secunda.

Ordinarius: Herr Prorector Dr. Kirchner. Cursus zweijährig.

Religion, 2 St. Bibelkunde des N. T. Geschichte des Reiches Gottes im N. B. Das Leben Jesu. Lecture des Matthäus und ausgewählter Capitel des Johannesevangeliums unter Heranziehung des Urtextes. Repetition der auf der früheren Stufe gelernten Lieder, Sprüche und Bibelabschnitte. Director. — Deutsch, 2 St. Drama, Prosa. Schillers Jungfrau von Orleans. Aufsätze aus Hiecke gelesen. Dreiwöchentlich ein Aufsatz (meist im Anschluß an die Lecture von Litteraturwerken, Inhaltsangaben, Versuche von Charakterschilderungen, Aufsätze in abhandelnder Form); freie Vorträge. Herr Franke. — Lateinisch, 10 St. Liv. II. Cic. pro Milone. Vergil. Aen. VII. VIII. mit Auswahl. Repetition und Erweiterung der Formenlehre und Syntax nach Zumpts größerer Grammatik. Mündliches Uebersetzen aus Süpfle. Wöchentliche Extemporalien, abwechselnd mit Exercitien. Aufsätze. Lateinische Inhaltsangabe des Gelesenen; theilweis lateinische Interpretation der Prosaiker. Ord. Vergil Herr Borsdorf. — Griechisch, 6 St. Herod. VII, 1—24. Lysias or. VII. XII. Hom. Il. I. II. cursorisch: Od. VIII. IX. Stellen aus Xen. Anab. extemporirt und retrovertirt. Repetition und Erweiterung der Formenlehre. Die Hauptregeln der Syntax im Anschluß an die Lecture. Wöchentliche Arbeiten. Herr Oberl. Dr. Lilie. — Französisch, 2 St. Ségur hist. de la gr. armée VII, b — VIII. Repetition der Formenlehre nach Plötz, die Hauptregeln der Syntax im Anschluß an die Lecture (Tempus und Moduslehre, Wortstellung, Concordanz, Casuslehre bis Genetiv incl.); französische Inhaltsangabe des Gelesenen; vierzehntägige Arbeiten. Herr Bräuer. — Mathematik, 4 St. S. ebene Trigonometrie, Kreisfunctionen, rechtwinklige Dreiecke. W. Repetition und Ergänzung der Buchstabenrechnung, Lehre von den Potenzen, Wurzeln, Gleichungen des 1. Grades mit 1 und 2 unbekannten, des 2. Grades mit 1 unbekannten, Mehler § 125—130. 156—161. Wöchentlich eine Arbeit. Herr Oberl. Dr. Noß. — Physik, 1 St. S. Magnetismus, Elektricität. W. Akustik, Galvanismus nach Trappe's Lehrbuch. Ders. — Geschichte u. Geogr., 3 St. Römische Geschichte bis zum Tode des August; in vierwöchentlichen Zwischenräumen eine geographische Repetitionsstunde. Herr Franke. — Hebräisch, 2 St. Die Elemente bis zu den vv. guttur. incl. nach Nägelsbach. Lecture aus dem Hollenbergschen Lesebuche. Herr Dr. Armbruster.

Themata zu den deutschen Aufsätzen: 1. Romulus als Prototyp des Römischen Volkes. 2. Einiges über die Tragödie (Arist. poet.). 3. Geßler nach Schillers Tell. 4. Allekto nach Verg. Aen. VII, 36—600 (Clausur). 5. Eine Rede des C. Gracchus. 6. Das Verfahren des Senats gegen Catilina's Genossen, nach Sallust. 7. Das Heldenthum der Erzväter der Juden. 8a. Gedankengang in Lysias Rede vom Oelbaum. b. Anklagerede des Nikomachus. 9. Welche Hauptgründe bringt Cicero zur Vertheidigung des Milo vor? (Clausur).

Themata zu den lateinischen Aufsätzen: 1. quibus rebus Romani post exactos reges libertatem tueri conati sunt? 2. et facere et pati fortia Romanum est. 3. quibus rebus bellum inter Aeneam et Turnum commotum sit, ex Verg. Aen. VII, 36—600 enarretur. 4. Solo, Themistocles, Pericles Atheniensium magnitudinis auctores (Clausur). 5. Eius orationis, quam Cicero pro Milone scriptam reliquit, enarretur exordium. 6. De Cadmo Thebarum conditore. Ovid. Met. III, 1—137. 7. De pugna Pharsalica. 8. qua ratione populi Romani imperium in Octavianum cesserit, exponitur (Clausur).

Ober-Tertia.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Lilie. Cursus einjährig.

Religion, 2 St. Bibelkunde des N. T. Geschichte der Pflanzung und Leitung der christlichen Kirche im apostolischen Zeitalter. Lecture der Apostelgeschichte. Biographie Luthers und das Wichtigste aus der Reformationsgeschichte. Erklärung des 4. und 5. Hauptstückes. Uebersicht über das Kirchenjahr und die Einrichtung des evangelischen Gottesdienstes. Repetition der Sonntagsevangelien der Festzeiten. Ord. — Deutsch, 2 St. Lecture von Gedichten und Prosastücken aus dem Lesebuche. Uebungen im freien Vortrag. Memoriren der für diese Klasse bestimmten Gedichte. Vierzehntägig ein Aufsatz (Vergleichung, Sprichwort, Chrie, Variations- und Amplifications-Uebungen). Ders. — Lateinisch, 10 St. Curtius l. III. Cic. pro rege Deiotaro, pro Ligario. Extemporir-Uebungen aus Caes. bell. Gall. Ovid. Met. XIII. XIV mit Auswahl. Abschluß der Syntax nach Zumpt. Prosodische Regeln. Uebersetzen aus Spieß. Uebungen in Lateinischer Inhaltsangabe des Gelesenen. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien. Ders. — Griechisch, 6 St. Xen. An. VI, VII mit Retroversionsübungen. Hom. Od. α 200 — β 200. Repetition des grammatischen Pensums der Unter-Tertia. Unregelmäßige Verba. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien. Herr Borsdorf. — Mathematik, 3 St. Planimetrie: erster Theil der Kreislehre; Gleichheit der Figuren. Algebra: Einübung der Buchstabenrechnung mit verschiedenen Reductionen. Ausziehen von Quadratwurzeln. Gleichungen des ersten Grades mit einer Unbekannten. Zahlreiche Uebungen in geometrischen Constructionen und Repetition des früheren Pensums. Wöchentlich eine schriftliche Arbeit. Herr Oberl. Dr. Noß. — Französisch, 2 St. Michaud hist. de la prem. croisade c. 10—13. Die unregelmäßigen Verba nach Plötz. Exercitien und Extemporalien. Versuche in Französischer Inhaltsangabe des Gelesenen. Herr Bräuer. — Gesch. u. Geogr., 3 St. Brandenburgisch-Preußische Geschichte bis auf die Gegenwart. Jahreszahlen nach Cauer. Geographie der außereuropäischen Welttheile. Herr Franke. — Naturgeschichte, 2 St. S. Botanik. W. Mineralogie. Herr Oberlehrer Dr. Noß.

Unter-Tertia.

